

9.1.77 num. 3



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-614038-p0002-9

DFG

DISPUTATIO IN AVGVRALIS 758.  
IURIDICA,  
DE 1656, 8.  
**FEUDO LIGIO.**

Quam  
**PRAESIDE JEHOVAH,**  
*EX DECRETO ET AVTHORITATE*  
**NOBILISSIMI, AMPLISSI-**  
*MI ET CONSULTISSIMI JURIS ANTE-*  
*CESSORUM ORDINIS IN INCLYTA ET CELE-*  
*BERRIMA ARGENTORATENSIMUM*  
*UNIVERSITATE.*

*Disp. II.*

Pro consequendis ritè recteque summis in  
utroque Jure honoribus & Privilegiis  
DOCTORALIBUS  
solenniter examinandam  
proponit

**MAVRITIVS WILHELMVS**  
à GÜLCHEN, Spirà-Nemes.

*Addiēt 17. Mensis Novembris, horis loco q̄ consuetis.*



**ARGENTORATI,**  
Ex Typographéo JACOBI THILONIS,



PERILLVSTRIET GENEROSISSIMO  
COMITI AC DOMINO,  
DOMINO  
**CASIMIRO COMITI**

IN Eberstein / DOMINO IN Grasenburgh /

Werdenstein & Forbach / &c.

DOMINO SVO CLEMENTI ET GRATIOSO.

ut &

**V I R I S**

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, EXCEL-  
LENTISSIMIS ET CONSULTISSIMIS

Dn. GEORGIO FRIDERICO MÖHRN

JCto gravissimo, & Sacri Cameræ Imperialis Judicij  
Assessori eminentissimo.

Dn. DANIELI IMLINO, JCto celeberrimo,  
Reipubl. Argentoratensis Advocato &  
Consiliario meritissimo.

Dn. JOH. ULRICO Stiebern / I.U.D. & ejusd. Cameræ Im-

Dn. DAVIDI BERGERN, J. vè Procuratori, meritissimi.

Dn. JOH. SEBASTIANO GAMBSIO, J. U. D.

& in incluta Argentoratensium Universitate, Inst. Imp.  
P.P. celeberrimo, & p.t. Decano spectatissimo.

Dn. JOHAN. GEORGIO, à GÜLCHEN,

Dn. TOBIÆ ULRICO, I. U. D. & d. Augusti-  
simi Cameræ Imperialis

Dn. ABRAHAM LUDOVICO, Dicasterij Advocatis &  
respectivè Procuratorib-

bus vigilantissimis.

Dominis, Patronis, Promotoribus, & respectivè Affinibus,  
Præceptoribz ac Hopsiti, & Fratribz suis Germanis, summo ob-

servantia, obsequij & honoris cultu etatem venerandis.

Inauguralem hanc Disputationem in debitæ gratitudi-  
nis signum & ulterioris benevolentiae & favoris incitamentum

Submissè, Reverenter, obsequiosè ac offi-

cione inscribit

MAURITIUS WILHELMUS à GÜLCHEN.

759.

3

2

*IN NOMINE DOMINI  
NOSTRI IESV CHRISTI*

Ad omnia Consilia, omnesque actus feli-  
citer progredimur, l. 2. pr. C. de offic. Præf. Præt. Afric.  
benè enim ac competenter tunc demum geruntur uni-  
versa, sive cuiusque principium decorum &  
amabile sit Deo Nov. 6. in pr.

## Procœmum.



Xamen sustinueram obtento  
ab inclutaJ Ctorum Facultate,  
in hac alma Argentoratensi-  
um Universitate, honorifico,  
de Disputatione inaugurali  
cōscribenda, Decreto, cum de  
commoda materia eligenda  
cogitans forte fortuna in Bo-  
dini lib. 1. cap. 9. de Republ. incidi, ubi de Principe alterius  
fiduciario multa, in primis Augustissimo nostro Impe-  
ratore Carolo V. ceu homine Ligio, non Regis Gallia-  
rum tantū, sed & Pontificis Romani indigne, more  
solito, disseruit, monuit, *Ligij* nomen ut altius de istius  
feudi indole mecum perpenderem. Verū ubi paulu-  
lum accuratius Scriptores evolvo, nullum ferè qui ex  
professo ista tractarit, deprehendo. Operæ itaque preti-  
um facturus mihi videbar, si utilissimam & quotidiano  
usu commendatam materiam, quam Feudorum Inter-  
pretes sparsim exposuerunt, in unum veluti breve flo-

A 2

rum

rum corpusculum collectam compendioso Sermone  
paucis Thesibus methodicè comprehensam, pro inge-  
nij mediocritate & temporis brevitate ob oculos pone-  
rem. Tuumerit, BENEVOLE LECTOR, si quid in Tracta-  
tione peccatum, benignè excipere, & à maturore æ-  
tate accuratiora exspectare. Valeto.

§. I.

**T**quidem (ut hinc ordiar) eorum quæ im-  
quaestione veniresolent, Cic. Quintil. & Her-  
mog. tria fecerunt genera, An res sit: Quid sit  
& Qualis sit. Horum primum in Conjectura, al-  
terum in Definitione, & tertium in Ratione &  
Partium Distributione positum est. Cic. in Topic-  
num. 82. pag. m. 201. Dn. D. Obrecht. in Tr. feud. lib. I. cap. I.

§. 2. An autem res sit, primo semper loco est cogno-  
scendum, Aristot. libr. 2. post. An. cap. I. & inter quaestione an:  
& quale sit, probè discernendum. vid. Amplissimus, Consultissimus  
& Excellentissimus Dn. D. Biccus, Antecessor hujus Universitatis  
primarius, Cod. & feud. placit. P. P. Celeberrimus, Dn. Praeceptor  
ac Patronus meus aeternum venerandus, in Rer. quotid. Præloq. 6. 32.  
in not. lit. o. quia inutilis est labor, qui in re, quæ non est in re-  
rum natura, consumitur: Cum Non-Entis nullæ sint partes,  
nec qualitates ejus. l. ejus qui. 41. vers. quod si stipulat⁹ ff. si cert. pet.  
l. si servum. 4. §. I. ff. de act. empt. nec possit dici falsum. vel ve-  
rum vel injustum esse id, quod nunquam fuit, nec ullo modo  
posse deseriri, quod nullo modo verè est, & oportere aliquo mo-  
do id verè esse, quod aliquo modo verè deseritur. cap. fin. in fin.  
de pœnit. Disp. 2. Quapropter & mihi de Feudo Ligio acturo,  
ante omnia de prima hac quaestione erit dispiciendum: An sc.  
rectè Feudum distribuatur in Ligium & non-Ligium?

§. 3. Sunt enim multi Viri docti, qui hanc divisionem  
textu non nisi, sed merum Dd. figmentum esse, nec ullo modo  
sustineri posse, immo rationi potius & juri feudali manifestè re-  
pugnare scribunt post Hottom. Disp. de feud. cap. 7. & alios, Je-  
rem. Reusner. Disp. 2. de feud. 6. 33. Hunni⁹ Tr. feud. cap. 6. divis.  
4. Finkelthus. Disp. 2. controy. 10. Dn. Carpzov.. Disp. feud. 2. 6. 27.  
Affirmaz.

700

3

2

Affirmativam tamen & communem sententiam præter allegatos à Gothofr. Anton. disp. feud. 1. 0. 3. defendunt Obrecht. 1. f. 5. n. 107. & seqq. Dn. D. Bitsch. 2. f. 52. Setser. & cum eo Schröter. disp. 2. de feud. 0. 12. Gudelin. part. 1. de feud. cap. 4. num. 5. Otto Melander. Loc. comm. feud. cap. 12. pag. 35. Rittersh. part. feud. lib. 1. cap. 4. divis. 4. q. 10. D. D. Ludvvell. in synops. feud. cap. 3. & Dd. communiter ; quibus & ego subscribo.

§ 4. Quia sententia hæc fundatur (1.) Textibus : tum na-  
tū pñtov. c. si quis. de Feudo Eigo. 2. f. 99. conf. clement. pastoralis.  
2. vers. rursus de sentent. & rejudic. tum natā diavotav. 2. f. 7. 2. f.  
28. §. ult. 2. f. 55. §. ult. in f. ibi : in omni Sacramento fidelitatis Im-  
perator nominatim excipiatur. c. Imperialis. §. satis bene 2. de pro-  
bib. feud. alien. per Lothar. 2. f. 52. qui §. repetitur in cap. extra-  
ord. factum frat. fratri in feud. pater. non noc. 2. f. 93. in quo di-  
citur feudum concessum, pro quo Vasallus fidelitatem nullo an-  
reposito juraverat : hoc autem quid aliud est, quam Feudum li-  
gium ? Eodem modo, quando dicimus animal rationale, nihil  
aliud intelligimus quam hominem : Hic certè scire leges & con-  
suetudines feudales non est verba earum tenere, sed vim ac po-  
testatem. arg. l. scire. 17. ff. de LL. l. 2. §. I. C. de constit. pecun.

§. 5. (2.) Ratione. quia distinctio hæc à forma est peti-  
ta, ut plerique superius 0. 3. allegati & aliiodocent : nec admitti  
potest, quod quidam feudum ligium & non ligium tantum se-  
cundum plus & minus differre, adeoque diversas feudorum spe-  
cies non esse existiment, cum plus & minus differentiam specifi-  
cam non faciant. l. fin. ff. de instruct. & instrum. leg. Molin. in  
Consuer. Paris. tit. 1. pr. num. 117. & ex eo Petr. Heig. p. 1. q. 2.  
num. fin. Nam & ipsam fidelitatis formam hic diversam esse,  
ex iis quæ infra dicenda erunt, manifestè apparebit. Bocer<sup>o</sup> Tr.  
de qualit. feud. cap. 5. num. 69. divisionem quidem agnoscit,  
sed vel ab adjuncto sive accidente, non forma eam petitam el-  
se contendit ; quæ opinio ex eo dubia redditur, quod qualitas  
ista feudi ligii & non ligii, non nudum sit accidens, sed ipsam  
fidelitatem, sive formam feudi concernat. arg. d. c. Imperialis.  
§. satis bene. 2. f. 52. Nec facile cum Schraderopart. 2. cap. 4. pr.  
feudum hoc ad impropria referendum : eum feudum semper  
proprium præsumatur, donec improptetas in aliquo capite

A. 3,

probata

probata fuerit. c. investitura. §. fin. 2. f. 2. ibi q. gl. & Dd. comm. vid. Francisc. Curt. jun. tr. de feud. p. 1. q. 8. num. 26. Zaf. p. 12. n. 36 Sonsbec. p. 9. n. 24. Mozz. de natura feud. num. 13. Menoch. de presumt. lib. 3. præf. 95. num. 1. & conf. 1. n. 312. vol. 1. & conf. 181. n. 71. Rosenth. cap. 2. q. 54. Welsmbec.. conf 74. n. 32. Everh. jun. cons. 41. n. 129. vol. 1. Vult. lib. 1. de feud. cap. 8. num. 52. Bocer. d. tr. de qual. feud. cap. 5. num. 56. Goth. Anton. Disp. feud. 1. 8. 7. lit. c. & d. D. D. Ludv. syn. feud. cap. 3.

§. 6. Est (3.) communis omnium ferè Interpretum calculo approbata. add. supr. 8. 3. laudatis Speculat. n. 4. de feud. Jul. Clar. in §. feud. q. 11. Cujac. Sonsbec. Vult. Schrader. Rosenth. c. 2. concl. 3. Schultz. c. 3. n. 88. & seqq. Kirchov. in Th. comm. opin. lit. F. verb. feudū ligium est. conf. etiam Hunn. d. tr. feud. c. 6. & Carpz. d. disp. feud. 2. 8. 27. qui licet ipsi hanc divisionem impugnant, eam tamen communibus propè omnium votis receptam esse testantur.

§. 7. Hinc etiam (4.) in praxi pervulgata, & in iudiciis optimè decantata est, ut docet Giphan. disp. feud. 2. num. 169. Hottom. d. disp. feud. cap. 7. in pr.

§. 8. Adeoque (5.) magnum habet usum in decidendis controversiis. 2. f. 93. Sic enim de Rege Siciliæ disputatur in d. clem. pastoralis. de sent. & re jud. an Rex Siciliæ sit homo Liguus Pontificis, h. e. an ipsum juvare teneatur contra Imperatorem nec ne. Sic inter juris Praefectum Caroli V. Galliæ Regis, & Janum Armoricanorum Ducem, Montisfortis Comitem, idib. Decemb. Anno 1366. de hac Vasalli qualitate ingens fuit concordatio. De hinc inter Carolum ejus nominis septimum Francum, & Arturum Britannum: ille enim postulavit, ut Arturus Britannæ Celticæ Dux, Britanniam arctiore fide data, h. e. pro feudo Ligo agnosceret: Hic contra simplicem fidelitatem, quam quidam ex Majoribus promiserant, comiter ob tutulit, h. e. Britanniam pro feudo non ligio accipere voluit; arctiorem verò fidem se Franco debere negavit. post Baron. lib. 1. de benefic. c. 4. Obrecht. d. tr. de feud. lib. 1. c. 5. n. 118. Cujac. de feud. lib. 1. c. 7. Renat. Choppin. de doman. lib. 3. tit. 12. n. 20: Sic Carolus V. Imperator cum haberet Burgundiam à Rege Galliæ, in controvrsiam vocatum fuit, an id feudum esset ligium nec

769

3

2

um nec ne. vid. Bodin, I. de Republ. c. 9. n. 119. Ita etiam in Camera Imperiali disceptatum fuit de Comitatu Sarwerden, an feudum ligium sit nec ne, de quo vid. Relat. Thom. Michaelis. apud Klock. in Vot. Cameral. vot. 26. Nicol. Everbard. Iun. Conf. 41, n. 125. & seqq.

§. 9. Denique (6.) plures differentiae inter hæc feuda emergunt. vid. Dom. Card. Tusch. pract. conclus. 149. lit. F. quarum quædam communiter sunt receptæ, quædam dubiæ, de quibus in ipsa Disputatione pluribus erit agendum.

§. 10. Antequam autem ulterius progreiar, operæ pretium erit, rationes istas, quibus Hottomanus & alii complures ejus auctoritate & argumentis moti, hanc distinctionem vel improbant, vel saltem suspectâ habent, paucis examinare.

§. 11. Prima Ratio his verbis ab Hottomanno propo- nitur: Si quod feudi ligij singulare jus est, satis graviter accusari Feudistarum vecordia non potest, qui totis duobus pervul- gatis libris, ne minimam quidem ejus mentionem, & ne uno quidem in loco fecerint. Ad quam objectionem Responsio duplex in promptu est, altera ad hominem, altera ad rem: Cum ipse Hottomannus subinde & passim Feudistarum oscitantiam ac vecordiam accuset, non potest pro absurdo habere, si etiam hac in re ex oscitania & vecordia aliquid commissum aut omissum sit. (2.) Cum non omnes Feudistarum Senten- tiæ in hos libros relatæ aut cerè perpetuò in iis conservatæ, sed quædam etiam extra eosdem vagatae aut circumlatæ sint, qua- rum aliquæ sub Capitulorum extraordinariorum nomine ho- die extant, temporum potius injuriæ, quam Feudistarum incu- riæ tribuendum erit, quod ista Doctrina vulgaribus libris vel Editionibus exciderit. Denique, præterquam quod colligit ab autoritate humana negativè contra Logicos, reprehensio- nem istam satis enervat d.c.un. §. satis bene. de prohib. feud. ali- en. per Lorbar: quod cum de feudo Ligio loquatur, ut ipse Hot- toman. in Comm. ad illud cap. agnoscit & fatetur, id autem in vulgaribus libris habeatur & extet, non potest utique dici, nul- lam in his libris feudi ligij mentionem fieri. D.D. Bitschius An- ceffor olim hujus Universitatis Celeberrimus, in Comm. ad lib. 2. f. 52.

§. 12. Multæ

§. 12. Multò minus secunda eius Ratio stringit, qua hunc  
in modum concludit: Quæ forma convenient, diversæ speci-  
es statuendæ non sunt, Atqui Vasallus ligius & non ligius con-  
veniunt forma. E. Minorem probat, quia uterque jurare tene-  
tur, se Domino fore fidelem, eumque defendere velle contra  
omnes, nullo excepto vel anteposito. Quod juramentum  
commune esse, & totidem verbis ac syllabis omnibus Vasallis  
præscribit, patet ex C. un. de nov. form. fidel. 2. f. 7. c. un. de pro-  
hib. feud. alien. per Frider. 2. f. 55. c. un. §. fin. hic finitur Lex. 2. f.  
28. Resp. quæ forma convenient specifica, illa non sunt di-  
versa, sed Vasallus Ligius & non ligius non convenient specifica, sed genericā: Minor E. est falsissimæ, & negandum omni-  
nō est, eandem jurisjurandæ fidelitatis formulam, quæ Vasal-  
lorum ligiorum propria esse dicitur, & quidem totidem verbis  
ac syllabis in d. c. un. de nov. form. fidel. 2. f. 7. omnibus Vasallis  
præscribi: Formula enim jurandi ligiorum propria est hæc;  
ut contra omnes, seu contra omnem hominem, nullo anteposi-  
to seu excepto, fidelitatem & servitia Domino promittant: Dass  
sich der Lehemann will gebrauchen lassen / wider männlichen/  
niemand aufgeschlossen; quemadmodum d. c. un. §. satis bene.  
2. f. 52. & in c. extraord. 99. traditur. At formula quæ in d. t.  
7. proponitur, expressè habet hanc adjectionem: excepto Im-  
peratore vel Rege, sicut etiam in d. t. 28. c. ult. dicitur, antiquo-  
rem Dominiū præferendum esse. Jurat igitur & ligius & non  
ligius Vasallus contra omnes, sed ille simpliciter & absolutè, seu  
nullo anteposito, hic secundum quid, hoc est anteposito supremo  
Principe, & Domino antiquiore, si non nominatim & expres-  
sè, saltem tacite, & feudistici juris intellectu. Dn. D. Bitsch. d. l.  
Quod tamen de jure Saxonico longè strictius observatur, ita,  
ut in omni juramento fidelitatis expresse & specificè requiri-  
tur nomen & autoritas salva Imperii & Imperatoris, Dann oh-  
nedas / wodas heilige Römishe Reich nicht darinnen aufge-  
schieden ist/ haben diejenigen / so sich miteinander verbunden/  
wieder das Reich müß gehan. Landrecht. libr. 2. art. I. Hierem.  
Setser. in Arb. feud. & ad eum Petr. Elias Schröter. disp. 2. 0. 12. in  
Addit. Atque ita contra Hottom. id argumentum inverti po-  
test:

P. 77. num. 3

test: quia feudum ligium & non ligium formâ differunt, different & re ipsa. At verum prius per superiora, Ergo & posteriorius. vid. D. Arum. *Disp. feud.* 2. 6. § 1.

782

§. 13. Pergit tertio Hottom. & sic argumentari videtur: Quæ vocabula, nec vi sua, & proprietate, nec usu, sed tantum diversitate linguarum differunt, illa non designant certas species: At vocabula ipsa *Ligius* & *Vassallus*, nec vi sua & proprietate, nec usu, sed tantum diversitate linguarum differunt. Ergo vocabula ista ligius & Vassallus non designant diversas species. Minor probatur: quia Ligij vocabulum Italorum est, vid. Albert. Krantz. lib. *Norm.* 4. cap. 7. & derivatur à *Liga*, quasi obligatum dicas: Vassalli autem vocabulum Germanorum est, & proinde hominem obligatum vel sonat, vel significat, & apud Autores utrumquè sèpè conjungitur, aut alterum pro altero indifferenter usurpatur, ut quo in homine nomen Vassalli apud Germanos, in eodem Ligij vocabulum apud alios ponit ac promiscuè usurpari videatur, prout pluribus Exemplis ostendit d.c. 7. *Disp. feud.* Verùm respondetur ad hoc argumentum: Minoris propositionis probationem esse insufficientem, & hoc tantum efficere, quod sèpè ista promiscuè usurpentur, non etiam quod semper: è contrario vero si vel maximè nullus alias locis esset, tamen in d.c. un. 2. f. 99. evidentissimè feudum ligium à feudo non ligio, & homo ligius à Vasallo vulgari distinguitur. Sed nequè novum est, ut vocabulis per se æquipollentibus, aut vi & proprietate significationis convenientibus diversæ species designentur. Sic enim quamvis & testamentum illud, quod ipso jure nullum, & id, quod per agnationem sui heredis rumpitur, & id, quod per capitis diminutionem infirmatur irritum dici potest: tamen Auctoribus juris visum est, solam hanc postremam speciem *irriti* testamenti vocabulo designare, primam autem vocabulo *nullius*, & alteram vocabulo *rupti* indigitare, idquè propterea, quia commodius erat singulas res, singulis appellationibus distingui. §. 5. *Inst. quib. mod. testam. infirm.* vid. *Amplissimus* & *Consultissimus* Dn. D. Rebhan, in *inclita* hac *Universitate Pandect.* Prof. P. celeberrimus, Patronus & Praeceptor meus multis nominibus colendus, in *Hodeg. Iur. Chart. 2. clim. 2. parall. 4. n. 43. pag. 337.* Cum quo concordat, quod est

B

apud



apnd Cicer. in Topic. n. 35. Quanquam enim vocabula propè idem valere videantur, tamen quia res differebant, nomina rerum distare voluerunt. Nec desunt Exempla, ubi ex sola linguae varietate occasio atrepta est, vocabulis idem significantibus res diversas designandi, veluti in *Apocha & Acceptilatione*, Σοφῶ & *Sapiente* l.2. §. 37. & 38. de O. I. Ita *pignus & hypotheca*, licet inter se nihil differant præter syllabarum sonum, quo etiam linguae discernuntur, Latina & Græca, tamen docendi causa distinguuntur. Sicuti Medici quidam distinguunt inter *avθεγκα & carbunculum*; Theologi quidam inter *Pentecosten & quinquagesimam*, not. Cujac. lib. 5. Obs. 36. & in *Præfat. Cod. de solut. & liberat. item in Recit. ad Cod. tit. de pignor.* Eadem est ratio vocum *Sacrae, Sanctæ, & Religiose*; quæ apud bonos Autores etiam promiscuè sumuntur. Bachov. ad §. *Sacrae*. 8. Inst. de R. D. Fest. de V. S. sub verb. *religiosus*. Auson. Pompm. de differ. verb. lib. 4. verb. *Sacrum*. Dn. D. Bitsch. d. l. Excellentissimus Dn. D. Rebhan, in d. *Hodeg. Iur.* pag. 209.

§. 14. Nec obest (4) si cum Hottom. & Finckelth. dixeris cc. 2. f. 93. & 2. f. 99. esse extraordinaria, & ideo non Authenticæ vid. Nicol. Intrigl. quest. 38. num. 60. & seqq. Etenim cum ordinariis non adversentur, juridicam omnino habebunt dispositionem, per ea, quæ habet Hartm. Pistor. lib. 2. p. 1. quest. 13. n. 59. 2. q. 15. n. 45. vers. nam et si & 2. p. 2. q. 34. n. 33. præsertim cum id, quod sub obscurius d. c. un. §. satis bene. 2. f. 52. propositum est, clarius explicit. Quæ loca Dn. Finckelthusius tantò minus rejicere potest, quod magnam autoritatem capitulis extraordinariis ipse tribuit, Disp. feud. 1. 8. 16. facit. textus 2. f. 81. ibi: ex comprobato usu inscriptis redigere curavi. conf. Cujac. 4. f. 73.

§. 15. Parum quoque (5.) movet tertia Finckelthusii objectio: quod in ligio etiam Imperator excipiatur, saltem tacite. add. Adrian. Gilm. libr. 1. rer. in Cam. judic. decis. 46. num. 39. Resp. enim (1.) ex sententia eorum qui manifestam desiderant exceptionem, aperte falsa est hæc objectio. (2.) Ex altera autem sententia, quæ expressam exceptionem non requirit, negandum nihilominus est hoc postulatum: quia deficit subiectum: nemo enim se ipsum potest excipere. Est ergo in arg. fallac. cause: quia contra Imperatorem militare prohibetur propter

263

3

2

propter ipsam fidem: non propter aliquam Exceptionem:  
*Magnificus & Nobilissimus Ictus, Dn. Tabor in hac inclita Universitate Iuridica Facultatis olim Antecessor celeberrimus, Magnus studiorum meorum Patronus ac Preceptor omni observantiae & honoris cultu aeternum venerandus, ad Goth. Anton. disp. feud. I. 0.3.*

§. 16. Sic (6.) nec quicquam in contrarium efficit, quarta ejus objectio: in iure feudali non probari, quod in Ligeo antiquior Dominus non excipiatur: E. vel hactenus non differre. 2. f. 28. in fin. Resp. probari utique ex d. c. ult. 2. f. 28. juratur enim antiquiorem Dominum preferendum esse: eaq; prælatio feudum non ligium inducit.

§. 17. His ita præmissis, nunc ipsius, quantum per Ingenii tenuitatem & temporis rationem licebit, materiae penetralia intrabo, & quidnam Feudum Ligium sit, queq; ejus sint requisita & singularia breviter enodabo: quæ, quæstio Definitio nem nominis & Rei complectitur.

§. 18. Cum autem nomina sint & dicantur rerum notæ, à quarum usu provehi solemus in ipsius rei perceptionem, Scalig. Exerc. I. sect. I. meritò juxta veterum monita & JCtorum exempla, in l. I. pr. de I. & I. l. I. §. I. de pact. l. 5. §. 3. de pecul. l. 2. §. 2. de Reb. cred. l. 2. de sponsalib. l. I. pr. de Acq & am. poss. l. I. pr. de injur. §. 2. Inst. de Tutel. pr. Inst. de testam. ordin. pr. Inst. quib. mod. re contrah. obl. pr. Inst. de injur. §. 2. I. de oblig. quæ ex del. nasc. vis vobis, prius est indaganda.

§. 19. Et quidem ratione Etymologiae, occurunt duæ hic voces, quarum unaquæque propriam habet significacionem, idè singulas separatim considerabo.

§. 20. Feudi vocabulum dicitur à fide, per ipsum textum 2. f. 3. §. ult. ibi: cum feudum à fide dicitur, nempè detortâ vox fide in Italicum fede. Unde Longobardis facile per metathesin literarum dictum feudum. Hinc fidelis pro feudatario seu vasallo. I. f. I. §. 2. ibi: fideles qui erant in servitio Conradi. I. f. 4. §. 5. qui fidei causa feudum accipit. 2. f. 7. & Domino suo fidem promissam servare, & erga eum in dicto & facto, hoc est in sermone & opere fidelis esse debet. not. Mozz. in tr. de feud. cap. I. n. 4. Aliorum derivationes & allusiones suo cuique judicio relin-

B 2

quo

quo, & cum in cæteris uberiorem explicationem F.F. ubique  
suppeditent, ne actum agere videar, ad illos, in primis vero ad  
Goth. Antonium disp. feud. 1. b. 2. & Dn. Struv. Exercit. feud. 2. b.  
1. me remitto.

§. 20. Succedit vox Ligij: quæ deducitur à ligando. Etsi  
enim omnis Vasallus, eo ipso, quod obligationem fidelitatis  
juratæ subit, quasi ligatus, obligatus & adstrictus est domino  
suo: quorsum etiam, ipsum vocabulum Vassus seu Vasalli alludit,  
siquidem à Germanico fassen / deducatur, ut vult Frideric. à  
Sande in Comment. ad consuetud. feudal. Geldriæ: nat' εξοχὴν ta-  
men, & cum emphasi Ligius appellatur, qui arctissimo fidei  
nexu & singulari modo adversus omnes homines, nullo peni-  
tus anteposito, Domino suo obligatus est. Alvarott. in prælud.  
feud. quæst. 6. divis. 13. Sonsbec. p. 3. n. 21. Rosenth. cap. 2. concl.  
4. n. 6. Guid. Pap. decis. 309. Borch. c. 4. num. 22. Vult. de feud. c.  
8. n. 20. Rittershus. partit. feud. lib. 1. cap. 4. q. 10. Petr. Gregor.  
Tholos. in syntagm. jur. Univ. lib. 6. cap. 2. num. 22. Forcatulus in  
Comment. de feud. cap. 3. num. 1. à lilio Francorum derivat, eo  
quod hoc genus feudi è Gallia sit oriundum & in Lombardiam  
cum viatore Carolo Magno translatum. Aliter Johan. Jovian.  
Pontan. lib. 2. de reb. gest. Ferdinandi Alph. F. & hunc sequutus  
Philipp. Camerar. cent. 1. horar. subcif. cap. 6. & cent. 2. cap. 59.  
qui putant homines sive Vasallos ligios inde denominatos esse,  
quod Reges ligatis pollicibus illos fidei, imperiisque suis sic  
vinciant, atque obnoxios reddant. Quomodo & Tacitus lib.  
12. Ann. cap. 47. Reges in societatem coeuntes hunc habere  
modum scribit, ut dextras implicant, pollicesq; inter se vinci-  
ant, & nodo præstringant. vid. Goth. Anton. d. disp. feud. 1. b. 3.  
lit. b. Lim. de Iur. Publ. lib. 4. cap. 7. n. 40. & seq. add. Joh. Ferrar.  
lib. 1. de feud. cap. 6. divis. 6. ubi non nullos à legalitate hanc vo-  
cem deducere notat. Vossius tamen lib. 3. de vit. serm. cap. 20. p.  
478. cum aliis secund. Krantz. lib. Nortman. 4. cap. 7. mavult  
deducere ab Italico verbo Liga, quod fœderationē & vinculum  
notat, ein Bündnuß, ut Liga pacis, liga sancta. vid. Rittersh.  
part. feud. lib. 1. c. 4. q. 10.

§. 22. Ratione Synonymie, à Dd. vocatur Homologum.  
Cujac.

704 3

Cujac. 2. f. 7. & 4. f. 93. Vult. 1. f. 8. num. 20. Borch. de feud. cap. 4. num. 23. Niell. disp. feud. 1. 0. 9. lit. a. Quirin. Kubach. quæst. il- lustr. Polit. jurid. cent. 1. Decur. 10. quæst. 10. German. Ligisch Lehen. Besold. Thes. pract. lit. L.

§. 23. *Synonymiam excipit Paronymia; à feudo enim ligio dicitur & Vasallus Ligius, cuius expedienda & Synonymia & Homonymia.* In nonnullis antiquis investituris nostrâ linguâ conscriptis Ligius Homovocatur *Lidig* Mann/ non à voce *Lei*, den/ id est, patiendo, ut opinatur Rosenth. cap. 2. q. 4. num. 7. sed quod se *Ledig*/ hoc est liberum profiteatur ab omni arctiori si- delitatis nexu, ita ut hunc dominum juvare possit adversus quemcunque Goth. Anton. d. disp. feud. 1. 0. 3. lit. b. in fin. In Con- stitutione Friderici III. de Ducatu Austræ apud Cuspinianum, & inde à Cujac. Vasallus Ligius vocatur ὁμόλογος & ἐνχωλιμαῖς d. 2. f. 7. 4. f. 31. & 4. f. 93. Quem licet cum Petr. Greg. d. cap. 2. n. 25. Gothof. Anton. d. l. idè carpat, quod vox ὁμολόγος confes- sum. notet : quia tamen etiam devotum ex asse designat & confederatum nutu, contesseratione, quibus innuitur Vasal- lum propria sua lingua & confessione protestari ac confiteri, se- soli Domino suo fidelem ac contra omnes obstrictum fore, idè in hoc significatu etiam Synonymia sustineri potest. Hinc fi- ctum nomen *Homo leugius* apud Anton. Archiepisc. Florent. hi- stor. part. 2. tit. 17. cap. 6. §. 1. Zasio, notante Schard. in Lexic. ho- moligius vulgò vocatur *Gottes Freund vnd aller Welt Feind*.

§. 24. Tandem nominis enucleationem claudit Ho- monymia. Sumitur autem Ligius vel Generaliter vel specialiter. Generaliter pro omni, qui alteri est obligatus, & tunc non ne- gatur, quin & per Ligium quivis alias Vasallus intelligi, & no- men Ligii non modo in Clientis, verum etiam in Patroni per- sona usurpari possit. In qua significatione Hottomanni sen- tentia procedit, d. disp. feud. cap. 7. add. Steph. Forcatul. in Com- ment. de feud. cap. 3. num. 1. Specialiter dicitur Ligius vel Absolutè, propriè, & intensivè. vel modo quodam, analogicè, & secundum quid.

§. 25. *Absolutè, propriè & intensivè*, cum quis se totum summo alicui Principi devovet; idque vel ratione feudi tantùm, vel utroque modo. Goth. Anton. d. l. lit. b. num. 1.

B 3

§. 26. Modo

§. 26. Modo quodam, analogicè, & secundum quid, cum solus Imperator excipitur, vel etiam cum alii quivis superiores excipiuntur. Quæ tamen utraq[ue] significatio estimpropria. Exempla vid. apud Bodin. de Republ. lib. 1. cap. 9. Goth. Anton. d.lit.b.num. 1. & 2. conf. Nicol. Everhard. jun. consil. 41. num. 183. cum seq. Dn. D. Klock. vot. Cameral. 26. num. 47. 48. 49.

§. 27. Explicationem nominis recto ordine excipit expositio ipsius Rei. Hæc absolvitur Definitione & Divisione: Illa ita videtur commodè concipi posse, nempe quod Feudum Ligium sit jus in re habili, ita constitutum, ut Vasallus fidelitatem præstet contra omnes, nullo plane excepto vel anteposito. d. c. Imperialis. §. satis bene. 2. de prohib. feud. alien. per Lothar. 2. f. 52. c. un. fact. fratr. non nocer. 2. f. 93. & c. si quis de feud. lig. 2. f. 99. Alvarott. in prælud. feud. divis. 13. item Ilsern. 2. f. tit. 7. de nov. form. fidel. Dn. D. Obrecht. disp. feud. 2. 9. 196. D. D. Ludvvel. in synops. feud. cap. 3.

§. 28. Divisio Feudi Ligii alia ocurrere non videtur, quam ea, qua subdistinguitur in Propriè & absolute Ligium, & in Impropiè, analogicè & respective Ligium.

§. 29. Propriè & absolute Ligium dicitur, quando immediatè summo Principe ejusmodi feudum accipitur, & fidelitas contra omnes juratur, ut proinde ne quidem Rex vel Imperator excipi debeat.

§. 30. Impropiè verò, analogicè & respectivè Ligium appellatur, quod à Principe inferiori analogam quandam Majestatem habente constituitur ita, ut contra omnes, excepto solo Imperatore, fidelitas exhibeat. post Rosenth. cap. 2. conclus. 3. num. 3. & 6. Knich. de vestiturar. pactionib. part. 2. cap. 5. num. 129. & seqq. & Goth. Anton. d.lit.b.num. 2. ubi tale feudum à Bald. in c. ad audientiam. de Rescript. non inscritè subligium vocari notat.

§. 31. Tantum de generali Feudi ligij consideratione, sequitur aliquanto Specialior, quæ in Causarum indagatione consistit. Illarum sunt aliquæ externæ, aliquæ internæ. Externæ sunt Efficiens & Finis; internæ Materia & Forma dicuntur.

§. 32. Quoad causam efficientem remotam; incunabula Feudi Ligij à Jure non-Scripto, moribus scil. & antiqua infeudandi

703

feudandi consuetudine repeho, arg. I.f. I. §. 4. tit. 13. 15. & 2.f. I. 23. 28. §. ult. 81. 82. 83. 84. 91. 93. 99. De Tempore verò & loco quo hæc consuetudo primùm introducta fuit inter Eruditos non satis constat.

§. 33. Argentraeus ad *Consuetud. Britan.* p. 1427. Artic. 311, n. 2. & 3. cum aliis Feudi Ligij vocem & significatum, quo utimur, Italij ascribit, ejusquè rei testes adducit Bald. & Alvar. rott. in *prælud. feud. divis. 7. gl ad d. clem. pastoralis de sent.* & *re judic.* Specul. tit. de *feud.* §. 1. Jason. in *prælud. feud.* & negat liberos feudorum vulgatos ligij mentionem facere: sed ea usum invexisse, non multò istis libris posteriorem.

§. 34. Alij verò cum Steph. Forcatulo in d. *Comment.* de *feud.* cap. 3. n. 1. statuunt Ligium è Gallia oriundum, & in Lombardiam cum victore Carolo Magno esse translatum. ut *supr.* b. 20. dictum, add. Klock. vot. Cameral. 26.

§. 35. Ego dist. inter ortum, seu originem atq; incunabula juris feudalij, & inter progressum s. incrementum: Ab initio enim cum Longobardi omnibus Europæis infesti, fidem planè ligiam desiderarent, distinctionis hujus nullus fortè fuit usus. At postea cum turbati essent Italia, & Imp. iterum rerum potirentur, sic quoquè feuda distingui cæperunt, uti docet *Magnificus & Nobilissimus Ictus Dn. Tabor, ad Goth. Anton. disp. feud.* 1. thes. 2.

§. 36. *Causa propinquæ respicit personas feudum ligum* constituentes & acquirentes, quæ & respectum Subjecti in causa materiali habere possunt, de quibus suo loco.

§. 37. *Causa procataractica ex parte Domini* est partim *Necessitas*, partim *Vtilitas*. Ut n. ingruente hoste utiliter & feliciter bellum geratur, & securitas conservetur publica, nihil à quæ necessarium est, quam semper in promptu habere exercitatos fidelissimosque milites, eosque tales, qui opem & fidem contra omnes nullo planè excepto præstare teneantur: Ex parte verò *Vasalli* est singulare meritum & beneficium, tanto splendore & apparatu oblatum, quo adeò afficiatur Vasallus, ut aristissimam hanc polliceatur fidelitatem.

§. 38. Cum his ferè *Finis & Effectus coincidunt.* Est autem

tem Finis feudi ligij alius Principalis; alius v. secundarius, & mi-  
nus principalis. Finis principalis, ad quem alter dirigitur, est  
Imperij ac Familiarum splendor ac dignitas, earumque conser-  
vatio & defensio. 1. f. 1. 2. f. 6. 2. f. 26. c. 1. §. in quibus etiam. 2.  
f. 28. Secundarius in privata tum Domini, tum Vasalli uti-  
litate & tutela consistit, ut is scil. fide & officio sibi contra o-  
mnes, nullo anteposito quam arctissime Vasallum devinctum  
habeat, in quem beneficium contulit. 2. f. 23. 2. f. 52. hic verd.  
ut beneficio cum suis in gaudio fruatur, & vicissim à Domino  
protegatur. d. 2. f. 23. 2. f. 6. in fin. 2. f. 58.

§. 39. Hactenus de causis externis, effidente scilicet &  
fine, sequuntur recto ordine Internæ, Materia scil. & Forma.

§. 40. Materia est duplex, vel Subjectiva, vel Objectiva.  
Subjectum est vel Constituens vel Recipiens; seu agit de personis  
tam iis, qui aliis constituere feudum ligium possint, quam qui-  
bus recte constituatur.

§. 41. In qua<sup>n</sup>tione qui feudum ligium constituere possint;  
hæc Regula notanda est: quod feudum ligium propriè sic di-  
ctum, nemo concedere possit, nisi qui superiorem non agno-  
scit: Cujusmodi est Imperator, Rex Hispaniæ, Galliæ, Poloniæ  
& similes. y. Bald. in prælud. feud. n. 52. Alvarot. in prælud. feud.  
divis. 13. Rebuff. in Declar. feud. divis. 10. Jacobin. de S. Georg. in  
verb. in feudum. num. 19. Duar. cap. 4. num. 3. Schrader. p. 2. cap.  
4. num. 1. Capycius in Invest. feud. rubr. feud. genera. col. 48. vers.  
ligium. ubi infert, Ducem Mantuæ vel Ferratiæ, non posse ali-  
cui dare feudum ligium, quia Imperatorem pro Domino agno-  
scunt. Idemque affirmit Menoch. i. Conf. 2. num. 25. de Rege  
Sicilia, quia regnum ab Ecclesia habet: Hanc enim pro Domi-  
na sua agnoscit. vid. Nicol. Intrigliol. tr. de feud. q. 28. num. 5. &  
seqq. Dn. D. Obrecht. de feud. libr. 1. cap. 5. num. 111. Domin.  
Card. Tusch. pract. conclus. 148. num. 7. Cum enim in hoc feu-  
do fidelitas promittatur nullo planè excepto vel anteposito,  
ut dictum, facilè colligitur, neminem illud concedere posse,  
nisi supremum Principem, sive sit ipse Imperator, sive alius su-  
periorem non recognoscens.

§. 42. Aliis tamen placet, feudum ligium non solum ab  
eo,

706 3

2

eo, qui habet superiorem, sed etiam ab aliis quibusvis inferioribus Principibus constitui posse, modo excipiatur Princeps vel Imperator, quem in feudo etiam Ligio excipi posse existimant, salvis verbis illis generalibus: *nullo anteposito*, cum illa contineant regulam, cui subjicienda sit exceptio ex tit. 55. libr. 2. f. & arg. l. in toto. 80. de R. I. Atque sic post alios docuit Niell. in disp. feud. I. 8. 9. lit. b. vid. Hun. tr. feud. cap. 6. Sed perperam; ntitut enim falso presupposito, quasi in cap. Imperiale, in fin. 2. f. 55. de feudo ligio sermo sit, cum ibi de feudo non ligio agi, ex hac tenus dictis haud difficulter colligi possit. Et si ejusmodi fortè investitura à Principe superiorem in his terris agnoscente facta fuerit, impropiè Ligium feudum dicendum est. Rosenth. in synops. feud. cap. 2. concl. 3. num. 3. & 6. Excellentiss. Dn. D. Ludv. in syn. feud. cap. 3. Dn. Goth. Anton. d. disp. feud. I. 8. 3. lit. B.

§. 43. Cæterum, cum in omni alias feudo, etiam ligio respectivè dicto Imperator excipiatur, queritur, quid habendum de Pontifice Romano, Vtrumne & is consimiliter etiam excipi debeat, & num etiam tunc, quando Imperator ipse Feudum ligium constituit? Evidem pontificia sedis adulatores id affirmant, magnoquè studio & contentione obtinere conantur: Tum quod Pontifex sit super regna & omnes gentes constitutus, c. omnes Principes. 4. de Majorit. & obedient. juxta dictum Christi, Quodcunq; ligaveris, Imperia & Regna conferat & transferat, c. ad Apostolica. 2. de sent. & rejud. in 6. nullumquè in hisce terris superiorem agnoscat. c. si Papa. 7. dist. 40. c. solita. 6. in pr. §. Praterea nosse. de majorit. & obedient. Guerr. Piso Soazius in prælud. feud. c. 43. Tum quod ipse Imperator à Pontifice, in quem Constantinus M. plenum jus contulit, c. Constantinus. 14. dist. 96. (qua palea multum grani attulit Ecclesiæ, Eberhard. in Top. legal. loc. à verisim. num. 16.) Imperium Romanum in feudum recognoscat, illi subsit, c. Romani. vers. nos præmissis. clem. 2. de jurejur. Ejusquè nomine Pontifici juramentum fidelitatis, seu homagium præstare obstrictus sit. c. tibi Domino 33. dist. 63. c. venerabilem. 34. X. de Elect. c. un. 2. f. 100. Ac proinde non possit Imperatori, vel cuivis alij fidelitas & opera jurari adversus

C

sus

sus Pontificem Romanum, & consequenter Pontificem in omni feudo constituendo excipi oporteat; immo feudum ligium consistere non possit, nisi in investito à Papa, ita Bald. in cap. ad audientiam. col. fin. de prescript. & Consil. 324. Quaritur utrum Papa. num. 2. lib. 1. sibi ipsi contrarius lib. 2. Consil. 291. vid. Tusch. d. pract. concl. 148. n. 3. & seqq.

§. 44. Verum quid de hac Canonistarum & Pontificiorum opinione sentiendum, quantumquè veritatis ipsi cordatores Pontificij tribuant, vid. ap. Reinking. de Regim. secul. lib. I. cl. 2. cap. 4. §. 6. 7. & 8. Vultej. I. f. 4. n. 9. & I. f. 8. n. 22. vers. Imperatori quidem. Bodin. lib. I. de Repub. c. 9. Georg. Ritter. Dissertat. jurid. polit. de Homag. Subject. concl. 64. & seq. Just. Sennoldt. cognom. Schüz. de Vicar. Imperij concl. 3. & 4. Hunn. d. tr. feud. c. 6. Obrecht. I. f. 5. n. 122. & alios.

§. 45. Succedit subjectum recipiens, seu quinam feudum ligium accipere possit? Nempe is, qui non recognoscit superiorem alium, nisi eum, à quo Ligium feudum accepit: Hoc enim feudum ita conceditur, ut alij fidelitas non reservetur. Jason. in prælud. feud. n. 106. cum seq. Mozz. de divis. feud. n. 68. Nicol. Intrigliol. d. q. 28. n. 4. ubi infinitos allegat. idquè omnes scribere in c. I. §. feudum 2. f. 55. de prohib. feud. alienat. per Frideric. respondit Menoch. conf. 2. n. 25. & conf. 32. n. 6. vol. I. Ratio hujus est, quia Vasallus Domino fidelitatem promittit adversus omnes, nullo excepto vel anteposito. d. 2. f. 52. At is, qui superiorem agnoscit, omnem fidelitatem Domino ligio præstare non potest. Consequens igitur est, ut nemo possit ligium feudum propriè & absolutè dictum recipere, qui superiorem habet eo, à quo feudum ligium obtinet. Hujus generis esse, scribit Obrecht. I. f. 5. n. 114. & Andr. Knichen. de pact. investitur. c. 5. n. 124. Duces, Principes & Comites Imperij. add. Limn. de I. P. lib. 4. c. 7. n. 44.

§. 46. Objectum hic idem, ut in reliquis Feudis statuot esse res immobiles, commercio, vel ex naturæ, legis vel hominis dispositione non exemptas, nec alienari prohibitas. c. un. §. 1. in pr. per quos fiat invest. 2. f. 3. aut res, quæ immobilibus annumerantur, vel cohærent. c. I. §. sciendum. fin. de feud. cognit. 2. f. 1. vid. Goth. Ant. Disp. feud. 3. 0. 1. §. 47. Ex-

707.

3

2

§. 47. Explicita internarum causarum prima, nunc  
pergo ad Formam, tum Internam, tum Externam. Interna  
Feudi Ligij forma est investitura, ita concepta, ut Vasallus Do-  
mino suo supremam promittat fidelitatem, eidemque contra  
omnes, nullo anteposito, se ad futurum pollicetur. 2. f. 28. §.  
ult. 2. f. 55. f. 2. f. 52.

§. 48. Vox Fidelitatis in usibus feudorum usurpatur du-  
pliciter; uno modo pro juramento, quo quis ad promissam fi-  
dem præstandam sanctè se obligat, ut in c. I. quid præced. deb. 2. f.  
4. & in c. I. de form. fidel. 2. f. 6. & in c. I. de nov. form. fidel. 2. f. 7.  
Ethoc ad naturam quidem feudi pertinet, sed tamen non est  
de feudi forma, sive, ut loquuntur Dd. de feudi substantia.  
Inde Vasallis ex gratia concedentis feudum, vel ex pacto sæpè  
remititur, 2. f. 3. in fin. Altero modo, pro ipsa fide, qua Vasal-  
lus Domino suo se fidelem fore, omnem utilitatem procura-  
turum, damna verò aversurum, & reliqua in juramenti for-  
mula observaturum juratò vel injuratò promittit, arg. 2. f. 5. 6.  
7. Vultej. lib. I. de feud. c. 6. n. 3. & 8.

§. 49. Etsi autem fidelitas in hac ultima significatione  
accepta, est specifica forma, qua feudum ab aliis contractibus  
& juribus secernitur, & sine qua feudum alias nullum consti-  
tuitur; differt tamen in feudo ligio in eo, quod in communi  
feudo Imperator & antiquior Dominus semper excipiatur. 2. f.  
28. §. ult. 2. f. 55. f. in Ligio autem suprema fidelitas exigatur,  
qua scil. pat aut major ulli homini ab eodem deberi nequit.  
Vasallus enim ligius Domino jurat fidelitatem contra omnem  
hominem, nullo anteposito, hoc est, nullo excepto. c. I. §. satis  
bene, de prohib. feud. alien. per Lothar. 2. f. 52.

§. 50. De hoc textu Q. An sit authenticus? Negat (1.)  
Cujacius, 4. f. 93. esse Lotharij, sed potius alicuius Jurisperiti,  
per verba: inscriptis ponere procurari, quæ sint Jcti non  
Principis. 2. f. 81. 84. & 88. Sed (1.) nulla est in argumento  
consequentia: siquidem hac phrasí etiam Imperatores uti so-  
lent. v. Auth. Habita. C. ne filius pro Patr. quæ est Friderici Bar-  
barossæ, qui Imp. Lotharium post Conradum Suevum III. se-  
quutus est, Anno 1152. (2.) adinveniuntur alia verba: quas

C 2

altercati-

altercationes amputantes: quæ propriè sunt Imp. l. i. §. 1. C. de  
commun. serv. manumiss. l. 20. C. de furt. (3.) idem requirit  
vox Principalis: *Sancimus*, quam evirare velle, nimis est te-  
merarium.

§. 51. Negat (2.) Hottoman. in Comment. add. t. 52.  
Quia ab Ardizone & Alvarotto referatur sine ulla Imperatorii  
nominis inscriptione: Sed apud Ardizonem p. 345. totus utiq;  
Titulus sic legitur: *Imperator Lotharius Augustus Universo popu-  
lo*. Alvarotti verba hæc sunt ad cap. satis bene: *Scias*, quod ista  
L. secundum gl. positam infr. in l. seq. (h.e. in cap. scq.) in paucis li-  
bris habetur: Ex quo dubitat d. gl. an pro Lege sit tenenda: sed tu  
teneas ipsam pro lege secundum Andream de Ysernia: tum quia est  
rationabilis & utilis valde, tum quia ab Imperatore condita est, ut  
patet ex ejus supra scriptione (id est inscriptione) tum quia Dd.  
eam pro lege commentaverunt & tenuerunt. pag. m. 160. Testatur  
quoque Rosenthal. in Tr. de feud. cap. 8. concl. 17. in allegat. sub  
lit. C. etiam antiquissimos hoc cap. legisse, ac proinde ipse rem  
in medio cogitandam relinquit. conf. Goth. Anton. d. disp. 1. 8.  
3. lit. e. & ad eam *Magnific.* & *Nobilissim.* JCtus Dn. Tabor. in  
præl. publ.

§. 52. *Externa Forma* spectatur in ejus Probatione, quæ  
constat ex Requisitis; quorum alii duo requirunt: (1.) Ut Va-  
sallus juret fidelitatem, nullius alterius fidelitate reservata. (2.)  
Ut expressè dicatur in concessione hujus feudi, quod sit Lig-  
um, Gail. de Arrest. Imp. cap. 6. n. 30. Alii (3) addunt: Ut scilicet  
Vasallus & personam & bona sua omnia Domino subjiciat.  
Speculat. tit. de feud. §. quoniam. num. 33. Bald. in c. inter dilectos.  
6. col. 3. X. de fid. instrum. Curt. Jun. in d. q. 8. num. 22. Clar. in §.  
feudum. q. 11. num. 1. add. Fulv. Pacian. de probat. lib. 2. cap. 37. n.  
29. & Dd. comm.

§. 53. Et (1.) quidem Requisitum expeditum est, cum  
essentiam & formam feudi ligii contineat, quæ in eo consistit,  
ut Vasallus Domino, fidelitatis vinculo adversus omnes homi-  
nes obstrictus sit, ut dictum, d. c. Imperialis §. satis bene. 2. f. 52. &  
d. c. si quis. 2. f. 99. De altero non immetitò dubitari potest; cum  
extenore investituræ, aut ex formula juramenti, causæq; cir-  
cumstan-

cumstantiis an ligium sit, satis appareat, inque omnibus dispositionibus potius mens sive sententia, quam verba inspiciantur. fac. l. 60. §. 4. ff. Mandati. l. 3. C. de liber. prater. & taciti atque expressi eadem virtus sit. l. 3. ff. si cert. pet. Huc accedit, quod illud certum, imo etiam expressum sive nominatum dicatur, quod ex certis indiciis sive conjecturis colligitur. l. 2. & 3. ff. de lib. & posthum. l. certum. 6 ff. si cert. pet. l. nomintim. 34. ff. de condit. & dem. Excellentiss. Ictus Dn. Bicc. in Aur. sect. §. 0. 21. in not. lit. K. ideoque ligium efficiatur, sive hoc expressè, sive tacite inter contrahentes actum fuerit. Goth. Anton. d. disp. 1. 0. 3. lit. d. Bald. sibi contrarius in d. conf. 291. num. 6. vers. apparet igitur. vol. 2. Tiraq. de retract. municip. §. 32. gloss. un. n. 25. in fin. Otto. Meland. loc. comm. feud. 0. 12. Schrad. de feud. p. 2 cap. 4. num. 3. 4. §. Rosenth. cap. 2. conclus. 3. num. 8. Knichen. de pact. investitur. p. 2. cap. 5. num. 89. cum seqq. Setser. Disp. feud. 2. 0. 12. Bocer. d. tr. de qual. & differ. feud. cap. 5. num. 72. Dn. D. Ludvv. synops. feud. cap. 3. Illam tamen sententiam veram putarim in casibus dubiis: sunt enim Principatus quidam controversi, an Imperatorem aut Pontificem pro superiore recognoscant, ubi sanè expressa mentione est opus, prout not. Magnificus & Nobilissimn Ictus Dn. Tabor. ad Goth. Anton. d. l. Tertium requisitum quod attinet, cum illud non sit de forma. nec de constitutione feudi ligii, sed de ejus effectu, uti docet Molin. in consuetud. Paris. tit. 1. §. 1. gloss. 5. num. 8. infra de eo erit dicendi locus.

§. 54. Formulas verò Sacramenti ligii, rituumque in hoc solenni investiendi actu variorum morem videre licet apud Bodin. lib. 1. de Repabl. cap. 9. Renat. Choppin. de doman. libr. 3. tit. 12. num. 20. Philipp. Camerar. horar. subcisi. cent. 1. cap. 6. & cent. 2. cap. 50. Andr. Knich. de pact. investit. pag. 2. cap. 5. num. 93. & seqq. Fulv. Pacian. libr. 2. de probat. c. 37. n. 32. & seqq. ad quos brevitatis studio me remitto.

§. 55. Transeo ad Effectus; qui sunt vel communes vel Proprii sive singulares. Communes dico, qui cum reliquis feudis convenient, & considerantur tum respectu rei, tum personæ & vel Domini vel Valalli, tam quoad commoda, quam onera:

C 3

quos

85.  
86.  
quos, tanquam à meo semotos scopo, silentio præterire consuli-  
tius videtur; præsertim cum de his integrōs fere FF. com-  
mentarios inspicere liceat. Hos autem, quos Dd. commu-  
niter feudo ligio tanquam proprios & singulares attribuunt,  
paucis tantum examinabo. Concernunt autem illi vel Perso-  
nam, vel Rem ipsam.

§. 56. (1) Ex parte Personæ, est Obligatio contra omnes,  
nullo excepto; adeoque servire tenetur Vasallus adversus quem-  
libet. c. un. §. contra omnes. Hic finitur lex. 2. f. 28. c. Imperial. §.  
satis bene. 2. f. 52. c. un. de feud. lig. 2 f. 99. Jul. clar. recept. sent. lib. 4.  
§. feudum. q. 21. num. 1. Schneidev. de feud. part. s. n. 94. vers.  
quinto ampliate. Non tamen contra se ipsum, gl. in d. c. un. §.  
contra omnes, hic fin. lex. 2. f. 28. & ibid. Laud. num. 2, Bald. num.  
3. Alvarot. num. 4. & alij citati à Rosenth. cap. 8. conclus. 15. num.  
1. & seqq. & in not. lit. a. b. & c. Quia in generali sermone per-  
sona loquentis non continetur. l. 53. §. ult. fi. de act. empt. c. peti-  
tio. 31. X. de jurejur. Ordinata enim charitas incipit à se ipsa.  
arg. l. Præses. 6. C. de servit. & aq. c. si non licet. 8. caus. 23. q. 5. Et  
quilibet sibi primò facit Eleemosynam, deinde proximo, c. qui  
vult. 19. dist. 3. de pœnit. Menoch. de præsumpt. libr. 3. præf. 44. num.  
7. Rol. à Vall. cons. 5. num. 41. vol. 3. Schrader. de feud. p. 6. cap.  
5. num. 12. Obrecht. de feud. libr. 3. cap. 4. num. 4. Vult. de feud.  
lib. 1. c. 10. n. 28.

§. 57. Unde sequitur (1.) illud *πόεισμα*, quo dicitur, quod  
absolutè ligius nulli alteri possit eodem modo esse ligius d. c. 1. §.  
satis bene. de prohib. feud. alien. per Lothar. 2. f. 52. & in cap. extra-  
ord. tit. 93. & 99. Cujac. 2. f. 7. Duar. de feud. c. 4. n. 4. Pacian.  
d. c. 37. n. 39. ne quidem consuetudine, Vultej. d. c. 8. n. 21.  
Obrecht. d. e. 5. n. 116. & seq. Bocer. d. tr. de qual. & diff. feud.  
c. 5. n. 71. nec etiam respectu rerum diversarum, sec. Guid. Pap:  
decis. 310. vid. Goth. Anton. d. Disp. 1. 8. 3. lit. e. Ratio est, quia  
fides omnimoda solidum hominem & semper occupat; duos  
autem in solidum non posse ejusdem rei esse Dominos, san-  
ctum est in l. si ut certo. §. §. si duobus. 15. ff. commodati. Et ne-  
minem posse duobus servire Dominis, in sacris notatur pagi-  
nis. Matth. 6. v. 24. Setser. Disp. feud. 2. 8. 12. Jerem. Reusner.  
disp.

709.

3

diff. 2. de feud. 8. 34. ubi Resp. ad text. 2. f. 99. Fieri scil. posse ex accidenti, & ex postfacto, ut ligius antea uni, vel invitus alteri ligius fiat per successionem, scil. in feudo ligio. Quo casu Vasallo succedenti fit gratia, ut per substitutum acceptabilem Domino servire possit. d.c. si quis. ibid. Cujac. 2. f. 99. Rosenth. d.c. 2. concl. 4. n. 2. Jure Saxon. servit in persona pri-  
mum vocanti: alteri in pecunia: Ob man hat zween Herren o-  
der mehr/ die ihm gebieten des Reichs Dienste mit Urtheil/ der  
ihm dann zum Ersten gebeut/ mit dem soll er selbst ziehen / vnd  
den andern allen soll er Heerstewer geben / das ist/ das zehende  
Pfund/ oder den zehenden Schilling/ den er jährlich von dem Gu-  
te hat. Lehn-Recht. cap. 46. Reinhard. differ. Iur. Civil. & Sa-  
xon. lib. 2. part. 3. diff. 33. Setser. d. disp. 2. 8. 12. Dist. ergo inter  
feudi constitutionem ab initio, & τὸν οὐβελνός, quod ex acci-  
denti eidem supervenit. Constitui feudum ab initio sic non  
poterit, ut duobus ligia fides debeatur: Ex nova autem & su-  
perveniente causa naturā tale erit, ut scil. superioritatem arcti-  
or obligatio debeatur. vid. Card. Tusch. pract. concl 149. n. 3.  
Rol. à Vall. d. cons. 44. n. 15. vol. 2. Otto Melander. d. loc. comm.  
feud. thes. 12.

§. 58. Sequitur (2) etiam alterum mei Cura, nempe:  
Mediato vix tale feudum competere; sed eit tantū, qui Domi-  
no immediatè subjectus est, ut dict. supr. §. 45. Hoc requisiti-  
um ab Obrech. d.c. 5. n. 112. & 116. etiam pro singulari hujus  
feudi proprietate addueitur; quod ita temperandum est: ut  
nulla par aut major fidelitas alteri debeatur; inferior tamen &  
exceptiva utique promitti possit: ne quis jacturam feudi here-  
ditarij ferre cogatur. Sic Sereniss. Electores ipsi ab aliis etiam  
inferioribus Principibus, ut Rege Poloniæ, Episcopo Bambergense, imò Abbate etiam Fuldense feuda obtinent.

§. 59. Atque hinc sumi potest decisio illius quæstio-  
nis: An etiam Germanus sive subditus Imperij Romani Regis Galliæ  
ligius fieri possit? Dist. scil. inter verè & absolutè ligiam, & modo  
quodam; Absolutè Galli ligius fieri nequit, quia jam est Impe-  
ratoris ligius. 2. f. 52. §. 2. sed ita ut Imperatorem excipiat, po-  
test. Nec prioria ut antiquiori fiduciæ præjudicium posterio-  
ri fidu-

ri fiducia contracta creari potest, cum à subditis summa præcipua quæ fides ac obedientia debeatur; Eleganter Bodin. d. lib. I. de Republ. c. 9. pag. 186. Indeque est, quod inhiberi subditis possit, ne exterorum se ligios constituant Vasallos, prout (post Joan. Ant. Lanarium Cons. 20. n. 11.) tradit Andr. Knich. de pact. investitur. d. p. 2. c. 5. n. 85. Hinc illi, quibus ante factam prohibitionem Ligium feudum à Rege extraneo datum est, in dubio fidem, quam debent superiori suo excepisse intelligendi sunt, atque ita feudum quoad quid, seu respectivè potius, quam absolutè ligium accepisse. arg. c. 1. § fin. cum ibi not. à Dionys. Gothofr. & Dd. hic fin. lex. 2. f. 28. vid. Anton. Gothofr. d. thes. 3. lit. g.

§. 60. Unde non dubito, quin qui ligius est Imperatoris, nihilominus alteri Principi in Imperio constituto homagium præstare possit quoad certa bona. Quia (1.) unus idemque homo diversis respectibus & qualitatibus, diverso potest censeri jure, duplicemque sustinere personam, & Imperialem & provincialem. Gail. de Arrest. Imp. c. 6. n. 14. & seq. uti apparet in Comite ab Ortenburg/qui est Comes Imp. & Imperij Romani ligius, tamen quoad bona præstat Duci Bojariæ jurisdictionum subjectionis; idque maximè vigore Bavaricæ immunitatis Nobilibus concessæ, qua nemo frui potest, nisi cum qualitate subjectionis. vid. Acta Ortenb. fol. 473. & 477. Licet enim alias ratione rei, in loco quodam sitæ, subditus quis dici possit, id tamen non nisi impropiè fit. Paurmeister. de jurisdict. lib. 2. cap. 9. n. 115. cum aliud sit forum sortiri, aliud subditum esse. Gail. lib. 2. de pignorat. cap. 15. n. 3. adeò ut excommunicare, capere, aut aliud contra personam machinari nequeat, etiam si possessor rei, Domino loci homagium præstiterit, quod jurare solent ij, quos nos Landsassen vocamus. Cum enim homagium, quod ratione rei tantum præstatur, stricti juris sit, non erit ultra mentem jurantis producendum ad personalem obligationem, l. quidquid. 99. de Verb. Obl. præsertim quia de odiosa subjectionis materia, est conceptum. vid. Ampliss. & Consultissimus Dn. Dr. Joh. Sebast. Gambs, inclutæ hujus Universitatis Antecessor & Spectatissimus juridice Facultatis p.t. Decanus,

770

3

2

Decanus, Hospes meus per integrum quinquennium, Praeceptor ac  
 Patronus debito observantiae cultu aeternum colendus: in Anal. l. un.  
 C. ubi de heredit. agatur. cap. 4. thes. ult. Sic Dux Clivensis in  
 Flandria, Brunsuicensis in Hollandia, urbes, arces, & domi-  
 nia possident, quorum respectu non in Imperio, sed in Flan-  
 dria & Hollandia forum sortiuntur. Sic Comites Rheingra-  
 vij respectu feudorum Imperialium sunt Wildæ & Rheni Co-  
 mites, Imperio immediate subjecti, respectu vero Comitatus  
 Salmenensis sunt Landsassij Lotharingici, Lotharingiae Ducem  
 recognoscentes, eique homagium praestantes. Dn. Cluten. in  
 Syll. rer. quotid. concl. 10. lit. e. Ita Rex Daniæ & Norvegiae,  
 licet hodie, qua est Rex, nullum superiorem recognoscet, at-  
 tamen ratione Ducatus Holsatiæ Imperij Romani Vasallus est,  
 & eidem tanquam Imperij status subest, ei homagium praestat,  
 ejusque majestatem recognoscit. Gail. d. c. 6. n. 16. R. A. in  
 Speyer de Anno 1542. §. Dieweil aber / ibi: Insonders aber  
 Dennenmark, als zum theil auch des H. Reichs verwandt Mit-  
 glied. (2.) Quotiescumque duæ concurrunt qualitates, qua-  
 rum quælibet per se potest suum operari effectum, toties una  
 alteri non derogat: Atqui in nostro casu sunt diversæ & sepa-  
 ratæ qualitates, quarum altera actum seu administrationem  
 alterius non impedit, per l. duorum libertus. 49. ff. de oper. libert.  
 c. postulatis. 15. ibi: nisi forte. de concess. præbend. (3.) Quia hæc  
 res in Comitiis Augustanis decisa est Anno 1548. §. Wiewohl  
 auch in der Ringerungs Handlung. Et in §. Aber der Graffen  
 von Tübingen halben. vid. Everhard. in Topic. de Tanquam s. re-  
 spectivis. Knich. 3. Encyclop. n. 54. & de pact. invest. p. 2. c. 5. n. 138.  
 Gylm. tom. 4. Symphor. p. 1. vot. 39. n. 186. Petr. Frider. Mindan.  
 de process. in Cam. extrah. lib. 1. c. 38. n. 5. Adrian. Gilman. rer. in  
 Cam. Imper. jud. lib. 1. decif. 46. n. 39. Gail. d. tr. de Arrest. c.  
 6. à n. 10. usq; ad fin. Jerem. Reusn. d. Disp. feud. 2. thes. 35.  
 Paul. Matth. Wehner. observat. practic. verb. Landes oder Erb-  
 huldigung.

§. 61. (2) Ex parte Rei, seu Feudi ipsius quædam pro-  
 prietas emergunt, quarum aliquæ recipiuntur, aliæ repro-  
 bantur, licet communiter à Dd. tanquam effectus singulares  
 annotentur.

D

§. 62. Effe.

§. 62. Effectus recipiendus est is; quod scilicet omnis successor feudum ligii, ligiam fidelitatem cogatur subire, ad quam Antecessor obstrictus fuit.

§. 63. Reprobandus autem effectus est (1) ille: quod feudum ligium accipiens principaliter personam, & in consequiam etiam bona allodialia Jurisdictioni & potestati Dominis subjiciat. Cacheran. *decis.* 63. *num.* 5. Molin. *in consuet.* Paris. *tit.* I. §. I. *glos.* 5. *num.* 8. Socin. jun. *conf.* 77. *num.* 22. *vol.* I. Curt. Jun. *conf.* 140. *num.* 7. & *tr. de feud.* *pag.* I. q. 8. *num.* 22. Hantenon. *lib.* I. *de jur. feud.* *cap.* 9. Gars. *de expens.* *cap.* 12. *num.* 33. Obrecht. I. f. 5. *num.* 118. & Dd. *comm.* *vid.* Rosenth. *cap.* 2. *conclus.* 3. *ad lit. b. & i.* Hoc enim requisitum pertinet ad speciem illam singularem, & in gradu eminentiori consideratam: cum primus Vasallus se Domino & Vasallagii & subjectionis homagio obstinxit: Non autem pertinet ad speciem feudi istius per se: quia aliud est Vasallum esse, aliud subditum esse; neque enim feudalis obligatio per se materiam subjectam egreditur, nisi quis ultrò nominatim ita paciscatur, nec ulla, quantumvis generalis oratio comprehendit res diversi generis. l. I. C. *qua res pign. oblig. poss.* l. 34. *de R. N.* nec quæ tendunt in præjudicium paciscentis. Barbos. *de general.* ax. 8. Finckelth. *disp.* 2. *de feud.* 8. II. *lit. e. facit.* 2. f. 54. *ibi: pro quantitate feudi.* Sonsbec. *in tr. de feud.* *pag.* 4. *num.* 26. Andr. Knich. *de pact. invest.* p. 2. *cap.* 5. *num.* 91. & 110. *cum seqq.* Otto Melander. *Loc. comm. feud.* 8. I. 2.

§. 64. (2.) Quod jus cognoscendi de controversia feudi ligii, etiam inter Vasallum & Dominum non Paribus Curiae, sed soli Domino competit. Bald. c. ceterum. *num.* 7. X. *de judic.* Jas. *in prælud. feud.* *num.* 112. *vers. quartus effectus.* Curt. Jun. d. part. I. q. 8. *num.* 24. *in fin.* & *num.* 25. Sonsbec. p. 4. *num.* 26. Quæ sententia meritò improbatur, quia feuda ligia non reperiuntur esse excepta ab illa Regula generali, quod in causis sive litiibus feudalibus inter Dominum & Vasallum vertentibus Pares Curiae judices esse debeant, I. f. 4. 21. 22. §. ult. 2. f. 16. 39. §. si inter. 55. §. fin. Certum autem est, quod regulæ juris semper inhærendum, & secundum regulam pronuntianendum sit, donec de exceptione doceatur. l. ab ea parte 5. ff. *de probat.* l. *suus quoq. 4* §. pu. 10. I.

777.

3

2

10. I. ff. de hered. instit. vid. latissimè Schrader. de feud. p. 10 sect.  
 5. num. 22. & num. 50. cum multis seqq. Rosenth. cap. 12. q. 3.  
 num. 40. Goth. Anton. d. disp. feud. 1. 0. 3. lit. f. num. 2. & disp.  
 14. 0. 2. lit. a. Vult. libr. 2. cap. 2. num. 23. & seqq. Limn. de Iur.  
 Publ. libr. 2. cap. 9. num. 75. cum seqq. Carpz. disp. feud. ult. 0 11.  
 add. Dan. Otto. de I. P. cap. 11. num. 11. pag. mibi. 370.

§. 65. (3) Feudum Ligium etiam in fœminas transire tradidit Curt. jun. d. p. 1. q. 8. num. 26. Jacob. de Franchis. in prælud. feud. cap. 2. num. 144. Ambros. Schuterus de hered. quæ ab intest. def. tit. 9. limit. 9. pag. 119. Ferrar. Montan. 1. f. cap. 6. vers. sextam speciem. Valent. Forster. in tr. de success. lib. 4. cap. 33. num. 58. Dec. conf. 139. num. 1. Cravet. conf. 414. num. 4. vol. 3. fortissimè Socin. jun. conf. 77. num. 22. vol. 1. & conf. 1. n. 36. vol. 4. hac potissimum ratione suffulti, quod Vasallus ligius se suaque bona Domino subjicere cogatur, adeoque indignum foret, & contra omnem humanitatis rationem, si fœmina ab intestato non succederent. Sed hoc falsum esse, patet ex iis, quæ supra in 0. 63. dicta sunt. Add. Sonsbec. p. 4. num. 26. Borch. de feud. cap. 7. num. 70. Menoch. conf. 1. num. 473. vol. 1. Rosenth. cap. 7. conclus. 34. num 12. Schrad. part. 7. cap. 4. num. 9. Latissimè Nicol. Everh. jun. conf. 41. num. 185. & seqq. vol. 1. Goth. Anton. d. disp. feud. 1. 0. 3. lit. f. & disp. 6. 0. 1. lit. d. vid. Relat. Thomæ Michaelis apud Klock. in Vot. Cameral. Relat. 26. ubi quod num. 65. subjicit: Feuda Ligia apud Germanos adeo esse incognita, ut vix ejus Exemplum aliquod extet: accipendum de inferioribus, ubi scilicet semper Imperator excipitur. Regalia enim omnia sunt ligia, siquidem ab Imperatore ipso conferuntur, prout ad Goth. Anton. d. l. monuit. Magnificus & Nobilissimus ICtus Dn. Tabor. Praecept. & Patron. meus submissa observantia aeternum colendus.

§. 66. Contra quæ inutilia & omnia ejusmodi requisita cerebrina notandum est monitum ICti in l. 8. ff. de public. in rem act. ubi dicitur: quod Lex non requirit, nec à nobis esse requirendum. Rol. à Vall. de Inventario heredis. part. 3. q. 52. pag. 107. Quod etiam in feudis & Vasallis obtinere docet Schrader. de feud. p. 6. cap. 1. num. 22.

D 2

§. 57. Expe.

§. 67. Expeditis ita Consentaneis, sequuntur ordine dissentanea seu contraria. Cum autem pleraque feudi ligii vitia ipsi causarum & Effectuum tractationi passim, prout res ferebat, inserta sint, & reliqua dissentanea seu modi ac causae, quibus iterum amittatur ac finiatur, ad naturam penèfeudi communis se conformare soleant, & una cum Processu feudalib[us] in latioribus FF. tractatibus prolixè explicitentur; unicum saltem brevitatis studio, nempe de Refutatione hoc loco perstringam.

§. 68. Feudum Ligium an refutari à Vasallo possit, divisa acies invicem pugnat Interpp? Neg. Carol. Molin. d. tit. §. 1. gl. 5. n. 9. Schneid. de feud. p. 1. n. 45. Rosenthal. c. 2. concl. 4. n. 4. &c. 9. concl. §. 1. n. 10. Jacob. de S. Georg. §. in feudum n. 22. Obrecht. I. f. 5. n. 115. Affirmant alij: Sonsbec. p. 4. n. 26. Pis. Soac. in prælud. feud. c. 14. n. 24. &c. 43. n. 15. Schrader. p. 8. c. 1. n. 63. in fin. Myns. §. Observ. 65. Schurf. cent. I. conf. 27. n. 6. & seq. Dn. D. Ludvvel. in Syn. feud. c. 3. Dn. Goth. Ant. d. Disp. I. th. 3. lit. f. Quibus & ego adhæresco: per text. 2. f. 14. 38. & 49. à quorum textuum generali dispositione hoc feudum nusquam excipitur, nec ulla diversitatis ratio, cur aliud in feudo ligio, quam non ligio dicendum sit, appareat. Dn. D. Obrecht. quidem d. l. Rationem hanc affert: Quia homo ligius non possit à fide data recedere, & feudum refutare: das Echen aufführen. Sed ita (1.) idem per idem probatur. (2.) procedit ratio in his, qui se simpliciter obligant: Non a. in his quise ob causam obstringunt, h. e. beneficij acceptionem: quod beneficium refutantes etiam mutua obligatione liberentur: Alioquin si diversum diceretur. (3.) mancipia potius & homines addicti glebæ, quam Vasalli, qui inter homines liberos eminent, constituerentur. fac. l. 2. ff. de liber. hom. exhib. add. l. 6. 10. 23. 24. & 37. C. de liberal. caus. conf. Bocer. de feud. alien. cap. 2. num. 157.

§. 69. Restat, ut de Affinibus etiam aliquid adjiciatur: Maximè v. feudo nostro ligio affinis esse videtur arctissima illa obligatio Solduriorum apud Gallos, quos & devotos Cæsar. lib. 3. Comment. bell. Gall. vocat, quorum ea erat conditio, ut omnibus in vita commodis una cum ijs fruerentur, quorum se amicitia addixit.

772

3

2

addixissent, & si quid eis per vim accidisset, aut eundem casum subirent, aut mortem sibi consicerent. Quibus Solduriis similes videbantur eorundem Gallorum Ambacti, de quibus item Cæsar lib. 6. item ferè Germanoruni Veterum Comites, de quibus Tacit. de morib. German. Adde quæ de Clientibus, Adscriptiis, Colonis homologis, hominibus ligis & aliis disputat Petr. Gregor. syntag. jur. Vniv. lib. 6. c. 2. n. 24. & seqq. item lib. 14. cap. 10. per tot. Verum enim verò si singulorum descriptiones accutioribus oculis quis inspexerit, & inter se contulerit, facile deprehendet, omnes prædictos istos & similes Vasallis ligis per omnia non correspondere, sed maximam inter illos esse dissimilitudinem. vid. Hottom. Disp. feud. c. 2. Duar. de. feud. c. 3. n. 4. Obrecht. 1. f. c. 2. & alios passim.

§. 70. Et hæc sunt, quæ in præsentiarum publici & solennis Exercitij gratia pro ratione instituti de intricatissima feudi ligij materia proponere libuit, & pro temporis brevitate Academicâ mihi utenti libertate, absque ullius præjudicio & non judicandi sed differendi animo conscribere licuit. Siquid bene, aut quod non displicet, dictum, supremi id numinis munus agnosco; sin male, meæ imbecillitati BENEVOLE LECTOR, æquo animo condonabis: ego hic subsistō, tu minus congruè posita corrige, omissa supple: pro his etiam

DEO TRIN-UNO SIT LAUS, HONOR ET  
GLORIA IN SEMPERNA SECU-  
LORUM SECULA!

Dum ligium feudum quid sit, proponis amice;  
Et ligio feudo te Themis alma ligat.  
Vult jubet ut soli facias servitia fida,  
Vult hæc sola coli, juraque pura petit.  
Cedant Ira, metus, personæ gratia, fôrdes.  
Quidquid ad injustum pectora nostra rapit.  
Contra tu cunctos hostes bene pandito leges:  
Diva Themis fundos, nomina Diva dabit.  
Non opus est Baldis, non quidquid Bartolus, Azo  
Fecere exemplo sint; nec & ipse pater

D 3

Civilis

Civilis Juris Cujacius, atque Donellus,  
Et quæ præterea nomina jura colunt,  
Sunt imitanda tibi; documenta domestica prostant;  
Imprimis Patris gloria magna tui:  
Post hunc tres Fratres, quartus queis adderis: Ergo  
Ut tibidona sient quadruplicata, precor.

*Paucis his Domino Commensali per integrum  
quinquennium probato nunc ad summos  
in Iure honores adspiranri fesciter  
accinse*

Johannes Sebastianus Gambs, U.J.D.  
Inst. Prof. Publ. & Iur. Facult. p.t. Decan.

**Q**uam Pater & magno Fratres frege labore  
Evnomia glaciem, frangis & ipse bene:  
Exemplo prostat Ligius tuus ille Vasallus,  
Cujus nunc sat agis pingere iura manu.  
GÜLCHORUM Spiræ nomen, sic fama manebunt,  
Rhenus ibi streperas dum vehet amnis aquas.

Benevolentie & studij causa  
f.

Gregorius Biccius, V.I.D.  
Cod. & I. Feud. P.P.

Suo

**M**AVRITIO G VILIELMO à GYLCHEN,  
pro consequendo Doctoratus in utroq. Iure  
gradu, solemniter disputanti.

**G**YLCHENI, Patris fili dignissime! quarte  
jam Fratrum simili frater honore trium!  
Inte vota Patris geminato jure recumbant:  
Nam pretium affectus, Tu minor, hocce tenes:  
Et decoris pariter prælustria nomina cedant  
Fraterni decori quadruplicata Tuo!

*Isa à Deo operabat, govebat*  
**I**OHNNES REBHA N, D.  
Pand. Prof. Ord.

Pix.

Præcellentí Eximio ac literatissimo Domino  
Candidato Respondenti.

D. 77. num. 3  
773

3

2

**E**st individuus virtutis gloria comes  
Desidia deditos gloria nulla manet.  
Grandia contemnunt gnavi dulcedine finis  
Tedia, que peperit grande laboris onus  
Scandit in accessi sinuosa cacumina montis  
Nulla reformidans damna laboris amans.  
Ardorem exstimulant augusta brabeja, triumphi,  
Ausus herculeos, laudis opima seges.  
Instar, nec cessat cæptis superaddere latum  
Quem voluit finem, premia digna ferens.  
Eximia specimen præsens, literate, remonstrat  
Virtutis Gùlchen pagina docta tua.  
Exhibit ingenium, Profectus monstrat abundè  
Quos labor assiduus juris in arte tulit.  
Proferet hacce brevi magnos industria fructus,  
Quos tibi promeritos conferet alma Themis.  
Crescit gentis honos tolletur ad aethera nomen  
Macte animo pergas fama perennis erit.

Isthæc oprias èvena cum voto omnigenæ  
felicitatis apponere voluit

Franciscus Christophorus Jung  
Argentin. LL. Stud.

**N**escio quid meritis ego laudibus addere possum,  
Cùm per se cunctis laus tua nota sat est;  
Nam FEUDUM tractans LIGIUM GÜLCHERE mereris  
Laudem, sic meritò Doctor ubique cluis;  
Mactè agis, æmulus es magni fratrumq; Parentis,  
Sic certans magna est gloria parta tibi.  
Hoc igitur titulo multos tueâre clientes,  
Annuat ipse DEus, præstet & alma Themis.

Nobilissimo Domino Candidato, consalino suo  
sua vißimo gratulabundus appos.

Joannes Maximilianus Winter  
von Güldenbronn.

Quæ

**Q**uae vigiles curæ sint assiduiq; labores  
In Themidos castris, nocte dieq; tui:  
Nunc nobis monstras, dum splendida pulpita scandis,  
Doctè de feudo differis & ligio.  
Hac in re Magni vestigia clara Parentis  
Magnorum & Fratrum, ritè secute viam;  
Est bene; Sacra Themis tibi jam devincta, maneto  
Fidus ei, & fidei præmia magna feres.  
Mox hac purpureo cinget tua tempora serto  
Ut gemini Iuris Doctor ubique cluas  
Hac temet vario, digno eumulabit honore,  
Hac tibi pro fido feuda labore dabit.  
Gratulor hinc merito; Votum lubet addere: dulci  
Te servet Patriæ dextra benigna Dei.  
Te servet Matri (felici, cernere natos  
Quod jam bis binos hoc in honore queat.)  
Te servet nobis Fautorem, servet Amicum  
Incolumem, à Sancto Numine corde precor.

Ita Nobilissimo & Doctissimo Domino Cognato,  
Fautori, & Amico suo omni honoris, ob-  
servantiae & amoris cultu prosequendo  
applaudebat

Johannes Georgius Vergenius,  
L. L. Stud.

F I N I S.



**ULB Halle**

003 882 810

3



(f) 56

Kmz





# FarbKarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



TLTIO INAVGVRALIS 758.  
IVRIDICA,

DE

1656, 8.

DOLIGIO,

Quam

ESIDE JEHOVAH,

RETO ET AVTHORITATE

ISSIMI, AMPLISSI-

NSULTISSIMI JURIS ANTE-

ORDINIS IN INCLYTA ET CELE-

RIMA ARGENTORATENSIMUM

UNIVERSITATE.

Disp. II

quendis ritè recteque summis in

de Jure honoribus & Privilegiis

OCTORALIBUS

solenniter examinandam

proponit

TIVS WILHELMVS

ILCHEN, Spirà-Nemes.

Mensis Novembris, horis loco q̄ consuetis.



GENTORATI,

ographéo JACOBI THILONIS,

2017 num. 3

2